

perituri. Quid ita indignamur? quid querimus? Ad hoc parati sumus. Utatur, ut vult, suis natura corporibus: nos laeti ad omnia et fortes cogitemus, nihil perire de nostro. Quid est boni viri? praeberere se fato. Grande solatium est, cum universo rapi. Quidquid est quod nos sic vivere jussit, sic mori, eadem necessitate et deos alligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel jussit. «Quare tamen Deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupetatem, vulnera, et acerba funera adscriberet?» Non potest artifex mutare materiem: haec passa est. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt. Languida ingenia, et in somaum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectuntur elementis: ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. Non erit illi planum iter: sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur, ac navigium in turbido regat; contra fortunam illi tenendus est cursus. Multa accident dura, aspera, sed quae molliat et complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide, quam alte ascendere debeat virtus: scies illi non per secura vadendum esse.

Ardua prima via est, et qua vix mane recentes

Enitantur equi: medio est altissima coelo:

Unde mare et terras ipsi mihi saepe videre

Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.

Ultima prona via est, et eget moderamine certo.

Tunc etiam, quae me subjectis excipit undis,

Ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri.

Haec quum audisset ille generosus adolescens: «Placet,» inquit, «via; escendo; est tanti per ista ire casuro.» Non desinit acrem animum metu territare.

Utque viam teneas, nulloque errore traharis,

Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,

Aemoniosque arcus, violentique ora Leonis.